

$ 8.00

Library of the Museum

OF

COMPARATIVE ZOÖLOGY,

AT HARVARD COLLEGE, CAMBRIDGE, MASS.

Founded by private subscription, in 1861.

DR. L. DE KONINCK'S LIBRARY.

No. 1792.

C.G.C. Reinwardt, 60k 10t X

Perilluſtri atque Magnifico

VIRO

Dom. LVCÆ SCHROECKIO

Celeberrimo Med. Doct. Archiatro & Comiti Palatino Cæſareo ſplendidiſſimo, S. R. J. Nobili, Acad. Leopoldino-Carolinæ Imperialis Naturæ Curioſorum Præſidi excellentiſſimo, Auguſtanæ Vindelicorum Reipublicæ Phyſico inclyto, Patrono, Fautori ac Collegæ ſuo maxime colendo, adſcriptionem in Album Illuſtris Collegii ac Societatis jam laudatæ Academiæ beniginiſſime offerenti & diplomate ſolenni, cum impoſito ſymbolo nominis MNEMONIS, obſignanti cogitationes ſuas de

LAPIDE VIOLACEO SYLVÆ HERCYNIÆ,

Loco penſi ſui ſymbolici, una cum devotiſſima gratiarum actione pro receptione in modo dictum Illuſtre Collegium Naturæ Curioſorum, quam huic ſcriptulo attexere & publicare volui, dicat

FRIDERICVS ERNESTVS BRVCKMANN,

Med. Doct. & Pract. Brunſv.

GVELPHERBYTI MDCCXXV.

Sumtibus IO. CHRIST. MEISNERI.



VIR
Perilluſtris & Magnifice,
Patrone plurimum colende!

QVOD benigniſſime haud ita pridem, hoc eſt die VIII. Idus Maji anni currentis MDCCXXV. me in Collegium totius Europæ celeberrimum, *Academiam* nempe *Leopoldino - Carolinam Naturæ Curioſorum* ſuſcipere non tantum dignatus ſis, ſed & Diploma quoddam, uti ſolennis eſt conſuetudo, quodque mihi nomen MNEMONIS, tanquam peculiarem characterem, impoſuit, donare non nolueris, facit, ut i-

pſe neſciam, quibus verbis humanitatem TVAM, juxta ac amorem in me ſingularem, deprædicem, quippe qui plane vicit omnem meam exſpectationem, cum tales honores publici iis ſaltim alias conferantur, qui peculiari pollent ſcientia & Phyſica & Medica, quique eruditiſſimis ſuis elaborationibus, ingeniique ſua prole doctiſſima orbem literatum ſibi devinctum tenent. Cum itaque iſte honor, humanitatis uberrimæ TVÆ interpres & fidus teſtis, ex mero favore ſolaque gratia in me defluxerit, ſic & profiteor ex me ipſo, nihil inopi mihi in manibus eſſe, quo largiſſimum affectum TVVM, nunquam ſatis dilaudandum, demereri ac compenſare poſſim; meipſum hinc TIBI mancipo, ac ſpondeo, meritorum TVORVM me memorem eſſe futurum. Si quam etiam facultatem occaſionemque TVIS, & Academiæ ſerviendi commodis benigniora mihi fata conceſſerint, rogari me non patiar aut moneri, ſed ultro faciam, facere quod par eſt clientem frugi, neque unquam committam, ut ullius ἀχαριστίας quodam jure poſtulari queam; quodque, ſi & porro in me animo fueris benevolo, magno me TIBI beneficio obſtrinxeris, neque, donec vivam, ſerium & induſtrium celeberrimi nominis TVI cultorem, & diligentem virtutum præconem deſideraveris. Et ſic cum thura non poſſim, mola ſalſa litabo.

Ex quo

Ex quo autem tempore iſtud honoris publici Diploma ac privilegia Veſtræ Illuſtris Societatis accepi, ex eo quoque ſtatim in id omnes meas direxi cogitationes, ut me dignum Collegio Veſtro ſocium & collegam præſtarem, & penſum, quod ſtatuta Veſtra ab Imperatoribus Leopoldo data, & Carolo Sexto ſemper Auguſto, cui Deus cum prole ſexus nobilioris longiſſimos velit concedere annos, gratioſiſſime confirmata, a noviter receptis poſtulant, citiſſime abſolverem; Cum vero a prima ætate ſtudio Medico ſcientiam naturalem curioſam junxerim, ſic & in præſenti Tibi, Vir perilluſtris & Magnifice, offero aliquid ex iſta, nempe *lapidem* ſic dictum *violaceum*, minus recte ſic cognominatum, cum nihil cum violis menſis Martii cœruleis ſuaveolentibus, veris ornamentis, commune habeat, ſed ſi in- & adnatum abraſeris vegetabile, quod odorem violarum præ ſe fert, & de ſe ſpargit effluvia grata violas redolentia, omnis iſte gratus & violaceus odor hunc ſilicem deſeruit.

Negare quidem nolo, quod odor violaceus non tantum iſti formoſiſſimæ plantæ Martiæ inſit, ſed potius & aliis rebus in regno animali & vegetabili, ſic Medici clinici obſervarunt in praxi ſua odorem *ſudoris* p. n. violaceum; ſic annotarunt *urinam* violas redolentem; ſic porro proſtat radix *Ireos Florentinæ*, cujus Italia fertilis eſt, quæ-

que propter odorem Germanis audit *Violen-Wurtzel*, cum tamen planta, ex qua desumitur, nihil cum Violis commune, præter odorem in radice habeat; sed in regno minerali nullum prostat exemplum cujusdam speciei, quæ Violas redoleret, & in ante nominato lapide omnis odor ab innato & adnato elegantissimi aurantii coloris *Lichene* profluit, quo demto, lapis odoris plane expers est.

Lapis hujus admirandæ qualitatis odoriferæ, quem Germani hanc ob rem lingua sua Teutonica *Violen-Veilchen* aut *Veielistein*, pro cujusvis dialecto vocant, variis in regionibus reperitur, sic Ephemerides Illustris Vestræ Societatis istum in Silesia inveniri Decad. II. An. IX. pag. 459. it. Hennelius in Silesiographiæ Part. I. cap. VII. p. m. 645. it. Volckmann in Silesia subterranea pag. 47. & 48. Porro in Helvetia Carol. Nicol. Langius in Histor. lapid. figurat. Helvet. Cap. VI. pag. 23. Porro in Saxonia G. F. Mylius in Memorabil. Saxon. subterran. Part. I. Relat. VIII. pag. 61. & alii aliis terrarum in locis testantur. Ducatus noster Brunsvicensis ingentem ejus copiam porrigit & monstrat in metallifera Sylva Hercynia ad ripas fluvii *Innerste* dicti, non procul a civitatibus montanis, *Lautenthal* & *Wildemann*, quæ ambæ divite Lunæ micantis & Veneris splendentis vena superbiunt, & in tota Europa celebres sunt. Ad ripas, & in ipsa quoque aqua hujus fluminis,

minis, quod in his ſupradictis locis, cum nondum procul iverit a fonte ſuo & prima ſcaturigine, nec alios huc dum in ſinum ſuum receperit rivos & rivulos, ſaltim parvum ſiſtit rivum, magna datur quantitas horum aromaticorum violas redolentium lapidum, non quidem ubique, ſed certis in locis ſparſim.

Viſui præbent in latere ſuperiori, äëri liberiori expoſito, colorem elegantiſſimum aurantium, id eſt, quem cortices pomorum aurantiorum habent, quo autem colore in parte averſa, terram vel fundum fluvii ſpectante, plane carent, quæ quoque pars vel latus omnis odoris expers exiſtit. Hujus phœnomeni inſcii, quando loca hôc lapidis genere ſtrata in memorata divite ſylva pertranſeunt, mirantur ſtatim, ac percipiunt naribus fragrantiſſimum hunc odorem, quo tota circumcirca atmoſphæra perfuſa & circumfuſa, præſertim urentis ſolis radiis accedentibus magis magisque rarefacta, eſt, obſtupeſcunt, quoniam eos, tanquam in ſtudio naturali peregrinos & hoſpites, abſcondita profunde latet cauſa. Hoc lapideum concretum cum ſuo Lichene ſuaveolentia ſua grata cubiculo cuidam impoſitum, totum id replet vaporibus & exhalationibus ſuis ſulphureis, uti diverſimode hoc in meo obſervavi muſeo; augetur autem odor & magis magisque ſe per hypocauſtum diffundit, effluviaque citius & melius hinc inde ſpargit,

git,

git, quando calor ignis, mediante fornace, admovetur, vel quando fricatur, ſic lapis impoſitus fornaci, paucis temporis momentis totum conclave reddit odoratum; ſed hoc ſciendum, quod aliquoties ſi repetatur hæc calefactio in fornace, citius ſolito, amittat plane ſuas vires & inodorus reddatur. Color, quem aurantium & aureum elegantiſſimum, oculis blandientem nuncupavi, non ſemper manet, ſed eſt vanus & tranſitorius, poſt anni ſpatium, interdum multo citius adhuc, elegantiam omnem deponit, loco cujus atro-virideſcens, obſcurus & ſubfuſcus, oculis minus gratus, color ſub aſpectum venit; odor autem manet naribus lapidi proxime admotis, ſed non amplius effluvia ſua accepta in tanta quantitate per conclavia, licet etiam fornaci admotus, ſpargit, uti olim recens fecit, & quaſi ſemimortuus jacet.

Subſtantia lapidis eſt ſilicea vel purus putus ſilex gryſei coloris vulgatiſſimi, cui adnaſcitur & innaſcitur ſuaviſſimi odoris, elegantiſſimique coloris vegetabile, quod Volckmann loco citato & alii Muſcum, ego vero adæquatius *Lichenem petræum*, cujus botanico gaudet charactere ex aſſe, compello; eſt enim *Lichen*, ſecundum meam difinitionem planta, flore nempe viſibili gaudens vel carens, ex meris foliis conſtans, quibus terræ, arboribus, ſaxis & lapidibus adhæret, & varia gignit exanthemata ſtellata,

lata, pileata, concava inſtar ſcutelli, pyxidis &c. Cum *Muſcus* e contrario ſit planta flore carens, florum vero loco capitula vel clavas protrudens, & folia gerens in cauliculis crebra & communiter minuta; Ex duabus his definitionibus & deſcriptionibus facile cuilibet apparebit, ad quodnam genus vegetabilium, an ad *Muſci*, an ad *Lichenis*, ſit referenda hæc odorifera plantula. Ego deſcribam, quod ſit *Lichen petræus*, id eſt, in petra, ſaxo vel alio lapide oriens, iisdemque adhærens, quo epitheto ſimul diſtinguitur ab aliis Lichenum ſpeciebus, quæ vel in arboribus, vel ex terra proveniunt; flore viſibili, id eſt, non in oculos cadente, ſed omnem viſum, propter ſuam tenuitatem, etiam acutiſſimum Lynceum fugiente, carens, (habet florem ſui generis, uti omnia reliqua vegetabilia, ſed propter tenuem ſuam ſtructuram non cadit in ſenſus) ex meris tenuiſſimis, lapidi firmiſſime adnatis foliolis ſibi invicem ſuperincumbentibus conſtans, exanthemata gignens adoratiſſima, violas menſis Martii cœruleas æmulantia, aurantii ad rubedinem igneam vergentis amœniſſimi coloris, qui a ſulphure dependet. Moles hujus ſilicis non unam eandemque ſemper præ ſe fert quantitatem, ſed variantem, adſunt enim aliquot pondia gravia; hoc tamen notabile æſtimo, quod omnes iſtiuſmodi ſilices figura utrinque depreſſa, & ad rotundam vel ovalem inclinante gaudeant.

Ad causam quod attinet hujus odoriferi vegetabilis, deduco istam cum Chymicis a sulphure puro, naribus grato; experimenta enim Chymicorum docent, quod sulphur de se spargat odorem violaceum, quando enim ægrotis sic dictus *balsamus sulphuris*, medicamentum ex floribus sulphuris, & oleo quodam destillato paratum, exhibetur, per Chymiam naturalem ex corpore humano istud sulphur in hoc *Lichene* per humiditates & certa salia accedentia, uti sunt ista in urina & madore corporis humani, excitetur & volatilisetur, ut hoc modo vivificatum tam gratum constituat sal volatile violaceum. Agricola hunc odorem a plantulæ hujus putrefactione derivat Lib. I. Fossil. Cap. V. sed sciendum, quod hic *Lichen*, quando aurantio colore superbit, sit in optimo flore, in optimo statu, optimumque tunc quoque de se spargat odorem, qui autem postea, quando *Lichen* colorem suum elegantem cum fusco commutavit, quod forsan ejus putrefactio, interitus & mors dici posset, quoad optimam & volatiliorem sui partem avolat, uti videndum ex hoc phœnomeno, quod tunc non amplius conclavia odora reddat, sed tantum aliquo modo nares afficiat proxime iis admotus.

Langius & Volckmann l. c. usus quosdam hujus vegetabilis & plantulæ adducunt, sic prior judicat, quod hic *Lichen* sit naturæ demulcentis & valde balsamicæ, qui bal-

samus

samus a sulphure puro fragranti expanso volatili fugaci, quo scatet, originem habet, cujus tinctura convenienti menstruo, extracta forte in phthisi, aliisque internis exulcerationibus, ubi remedia desiderantur balsamica, non sine fructu adhiberi possit. Linteis, posterior narrat, quod mulieres in Silesia hunc lapidem addere soleant, a quo non tantum fragrantiam suavem acquirerent isti panni linei, sed & præservarentur a blattis, tineis aliisque iis nocivis insectis; quod experimentum facile quævis matrona in hac nostra regione instituere posset, cum lapidis adsit sufficiens numerus. Theophrastus Paracelsus commendat hunc *Lichenem*, a lapide abrasum, antiquum & fuscum, specifici loco vesicæ calculo laborantibus. Imo fuerunt, qui primam lapidis Philosophici materiam in hoc sulphureo concreto subtili transitorio, sed frustra, quæsiverunt. Reliquum ad odoramenta, quæ Galli *parfumes* vocant, utiliter & omnium optime adhiberi potest, præsertim de lapide derasus; pyramidi chartaceæ inditus, & pannis linteis, chirothecis, aliisque rebus adpositus, quibuscum violaceum suum purum & subtile, gratumque, licet transitorium, sulphur communicabit.

Brevissimis sic lineis lapidem violacei odoris, Hercyniæ supra dictæ sylvæ, TIBI, *Vir Perillustris & Magnifice*, delineavi, exoptans, ne TIBI displiceat hæc rudis & inordi-

nata adumbratio, quæ quidem de colore eleganti & odore ſuaviſſimo agit, lectori autem nec oculos recreat, nec nares titillat; ſi autem alium *Societas Veſtra Illuſtris* mihi vult committere laborem, deditiſſimo & obſequioſiſſimo in me iſtum ſuſcipiam animo, & ſi quadam in re gratiſſima potero, & Tibi, & *Illuſtri Societati* exhibere officia, ad quæcunque me ſemper invenies paratiſſimum. Terminum dum epiſtolæ pono, adhuc multoties Tibi ago habeoque gratias pro hoc publico mihi facto honore, clementiſſimum Numen det Tibi feliciſſimum annorum decurſum, illibatum mentis vigorem, ſtabile firmumque corporis robur, & fortunarum incrementa optatiſſima, & ſic Divinæ gratiæ, una cum univerſa *Illuſtri Academia*, Te ſincero & voto devoto commendo. Vale, *Vir Perilluſtris & Magnifice* Neſtora digne vivere, & Euboici tranſcendere pulveris annos. Mihi vero favorem Tuum infinitum, benevolentiamq; perennem expeto, qui nunquam non ero

Perilluſtris Tui nominis,

Patrone plurimum colende,

Brunſvigæ d. 20. Maji.
M DCC XXV.

cultor obſervantiſſimus

Fr. Erneſt. Brückmann.

Aca-

Academiæ Cæsareæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curiosorum Præses

Lectori salutem!

* * * * * *

QVAM ineffabilis ubique eminet in creatis Divina Potentia rebus! Quis non splendidos altissimo in æthere stellarum exercitus, incredibiles variorum animalium copias, pretiosos terræ montiumque thesauros, insignes plantarum delicias, admirandas aquarum scaturigines obstupescat? Præsentem hæc cuncta monstrant Deum, cujus gloriam eleganti ordine, innumero numero, subtilissima structura, & plurimo usu concelebrant. Quis ardentiori itaque

desiderio horum in corporum cognitionem non rapiatur, aut in excolendo rerum naturalium studio experiatur, fastidium? Nunquam sane expleri satis mens hisce intenta poterit, & quo plura investigaverit, eo majorem sciendi cupiditatem percipiet, imo longe maximam curiositatis exercendæ occasionem inveniet. Quo in stadio inprimis *Academia nostra* cum decurrat, & nunquam otiosa præclaros in naturæ penetralibus subeundis jam fecerit progressus, multa tamen, quæ latent super esse perpendens, Virorum ingenii acumine, doctrinæ excellentia, longo rerum usu, laborisque industria clarissimorum, consortium sibi conciliare nititur, ut junctis viribus magis subinde progredi, sicque divinæ inservire gloriæ, medicam illustrare artem, & proximi commodum promovere valeat. Huic nostro instituto quia TV quoque, *Nobilissime atque Excellentissime Domine*, *Domine* FRANCISCE ERNESTE BRVCKMANNE, Poliater Brunsvicensis meritissime, teneris, & præclara multa à TVA virtute nobis sperare li-

re li-

re licet artis nostræ salutiferæ incrementa, accessus TVVS non potest non esse acceptissimus. Ideo quod felix faustumque eveniat, ego, præfatæ Academiæ *Præses*, pro ea, quæ mihi ab Ipsa concessa, atque Cæsarea authoritate confirmata est potestate, TE prælaudatum Dom. Doct. BRVCKMANNVM in *Academiæ* nostræ sinum recipio, *Naturæ Curiosorum* choro adscribo, ejusque privilegiorum participem facio, atque Collegam nostrum hoc Diplomate solenniter renuncio, quin & perpetuum in Societatis symbolum MNEMONIS cognomine insignio. Agedum, Honoratissime Domine Collega, quicquid in amplo Naturæ regno jucundum & utile continetur, sedulo nobiscum porro rimare, inque humani generis salutem erue, ac inter nunquam otiosos, decus & augmentum Academiæ promove. Vale, & vive felicissime, diutissime! Dab. Augustæ Vindelicorum VIII. Idus Maji M D CC XXV.

(L. S.)

DO NOT CIRCULATE

